





MEDITATIONES  
DE  
M E N T E  
SENSU NON ERRANTE,  
Adjuvante Autore sensuum,

&  
Consentiente  
*Amplissimo Senatu Philosophico,*

PRÆSIDE  
M. GOTTLIEB SAMUEL Greuer/  
examine Eruditorum subjeit,

RESPONDENS  
IL. JO. Gottfried Hoffmann / Lipsiensis,

D. 21. SEPT. M DCC VII.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Literis CHRISTIANI GOEZI.

*Alonso Vazquez*  
*Sancho*



FLORENTISSIMÆ REIPUBLICÆ  
LIPSIENSIS  
SENATUI SPLENDIDISSIMO,  
DOMINIS  
CONSULIBUS,  
PROCONSULIBUS,  
SYNDICO,  
ÆDILIBUS,  
SENATORIBUS,  
VIRIS  
MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS, GRA-  
VISSIMIS,  
CÆTERISQUE ORDINIS SENATORII  
ASSESSORIBUS  
PRUDENTISSIMIS,  
PATRONIS & MÆCENATIBUS  
SUIS

hanc Dissertationem  
devota Mentis observantia  
facram esse cupit

JO. Gottfried Hoffmann/Lips

*Handwritten signature in brown ink, possibly "Gottfried Hoffmann".*





## PRÆFAMEN.



Erunt est, quod **Q**VENTILIANUS affirmat, nos plerunque tenacissimos esse eorum quæ rudibus annis percipimus: Ut sapor quo nova imbuuntur vasa durat, nec Lanarum colores, quibus simplex ille Candor mutatus est, elui possunt, ita Animi, quæ prima imberunt præjudicia constantissime servant. Præjudicia intelligo infantia, quæ Animos Hominum plurimorum occuparunt & in iisdem Scepra Imperiumque tenent. Statim enim assensum præbent sententiis, quæ receptis ab infantia opinionibus adstipulantur; investigatione autem ulteriori ea non dignantur, quæ iis contradicunt. Hinc accidit, ut fere in nullis Thesibus fundamento boni assensus gaudeant, sed quia sine sana veraque Dubitatione ideas vel conjungere vel disjungere, in errores innumeros dilabuntur. Thesis enim illa, quam pueritia nobis inculcavit, induit fucatam Evidentiæ Metaphysicæ speciem, cui sine interveniente tertia quadam Idea subscribimus putantes illam omnibus hominibus esse communem. Hoc autem inde oriri mihi videtur partim quod Autoritas Parentum vel Informatorum & nostrorum ejusmodi opiniones docentium magnam in animum nostrum teneat vim atque potentiam, partim quod ex iterata approbatione Theseos nascatur in nobis consuetudo at-

que propensio quædam credendi errorem, quem sine sufficien-  
ti examine & attentione admittimus. Sic quatuor dari Elemen-  
ta Thesis est, quam sine ingenti Præjudiciorum corruentium  
strepitu & periculis ex eorum ruina orientibus Physici rejicere  
nequeunt. Sic ignem esse calidum plerique autumant, cum  
tamen a multis solide ostensum fuerit, calefacere quidem ignem,  
sed nullum includere calorem. Sic plus materiæ ascribunt terræ  
& aquæ quam aëri, quia illorum corporum materia magis in  
sensus incurrit, quam aëris nos ambientis. Sic dolores pedum  
& brachiorum se non in cerebro sed in pede & brachio senti-  
re, sibi habent persuasissimum. Ut infinita alia silentio præ-  
teream, quibus merito thesis illa, sensus nostros errare, est ac-  
censenda. In sequentibus enim Meditationibus meis sum  
ostensurus, quod error, cum in judicio mentis quarendus, nun-  
quam in sensibus possit deprehendi. Fateor equidem, ut se-  
quens quoque §. I. monebit, thesin hanc antiquitate esse muni-  
tam & a Viris magna autoritate conspicuis dudum fuisse ap-  
probata; sed noli, L. B., eam exinde falsitatis accusare, po-  
tius perpende: Veritatem rejecta omni autoritate atque stu-  
dio sectandi ubique juxta rectam rationem esse investigandam  
& ex solo fundamento boni assensus sive evidentia tanquam  
norma veritatis dijudicandam. Nec ullum mihi subnascitur  
dubium, quin L. B. juxta prudentiam tuam hæc bona fide sis  
perfecturus atque si quæ Tibi præjudicia in eorum Lectione  
videantur occurrere ulteriori Meditatione recte instituta om-  
nia sis perscrutaturus, nec statim in pejorem rapturus par-  
tem, quod etiam ea qua par est observantia a Te mihi expe-  
cto. De cætero Deum imploramus, ut animam nostram ita  
dirigat, quo Libertate abstinendi ab erroribus perpetuo gau-  
deat, judicia sua de rebus bene instituat, & verita-  
tem & gloriam Dei promovendam  
nanciscatur.

CAP. I.  
<sup>DE</sup>  
EXPLICATIONE TERMINI  
SENSATIONIS.

§. I.

**N**ulla res, ut cum SENECA (a) exordiar, nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt: nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus. Videas, L. B. anne hoc in præfenti materia locum inveniatur, quam tot secula inculcarunt, tot Autoritates Virorum Eruditissimorum corroborarunt, torque præjudicia infantia & ex cerebro plebis nata multorum exemplorum phalera mentibus hominum impresserunt:

Nam veterem in limo ranæ cecinere querelam. Nimirum sensus errare, cum tamen ad errores antiquitates illa thesis merito referenda.

§. 2.

At ipse velim iudices, quanta ex clara & distincta hujus sententia investigatione dependeat utilitas, cum 1) nullus sine accurata illius cognitione distinctus de erroris origine detur conceptus, sapius quidem clare percipimus, erroris causam in mente latere, sed non novimus eandem distincte & determinate adeoque nec emendatio mentis recte potest suscipi. Si enim sensibus erroris origo adscribatur, sensibus quoque medela potissimum afferenda. Sed nonne ageremus instar Medici cujusdam imprudentis, qui causam morbi tollere satageret in externis membris, cum tamen fons istius ex mala digestionem ciborum & potuum in stomacho esset deducendus?

§. 3.

2) Cum nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu,

A 3

(a) de vita Beata c. I.

su, maximopere de qualitate sensuum, ad veritatem acquirendam debemus esse solliciti. Novimus equidem dogma jam allatum a SOCINO (*b*) male applicatum, ab ANTONIO LE GRAND, (*c*) PETRO ALLINGA (*d*) aliisque Cartesianis magna veritatis jactantia fuisse rejectum. At vero si ita illud explicemus: nos posse nullum de aliqua re seu corporea seu incorporea formare conceptum, nullamque imaginem, nisi quam sensibus vel externis vel internis perceperimus, siue ad cujus ideam formandam sensus non suppeditaverint occasionem; nulla nobis videtur subesse causa, cur istam falsitatis suspectam, esse judicemus. Cum in primis ipsum CARTESII principium: Ego cogito, ergo sum ex sensu, dependeat, & ita primum formandum: Ego sentio me cogitare, E. cogito: Ego cogito, ergo sum: ac præterea verum maneat illud acutissimi LOCKII: (*e*) Cum perceptio primus sit gradus, quo cognitionem versus tenditur, cum universa istius suppellex per eam intromittatur, quo paucioribus sensibus homines perinde ac alia animalia præditi sunt, quo pauciores & obtusiores sint impressiones ab iis factæ; quo hebetiores sint facultates, quæ circa eas versantur, eo remotiores sunt a cognitione ista, quæ in quibusdam hominibus reperitur.

§. 4.

Solliciti ergo de eo, an detur error in sensu, in primo statim limine ponenda & determinanda est illa idea, quam termino sensus subjecimus. Veremur autem, ne descriptionem sensus allaturi in illud incidamus vitium, quod RENATUS DES CARTES (*f*) reprehendit: sæpius nimirum se advertisse monet, multos in hoc errare, quod ea, quæ simplicissima essent ac per se nota, logicis definitionibus explicare conarentur, adeoque ipsa ob-

*b*) in Anti-Puccio c. 4. p. 118.    *c*) Infit. Phil. P. I. c. 2. n. 5. p. 13.  
*d*) Illustr. Erotem. Decad. VII. p. 214.    *e*) de Intell. Hum.  
L. 2. c. 9. §. 15. p. 52. Coll. L. 1. §. 3. 4. & 24.    *f*) P. 1. Princip. n. 10.



fcuriora redderent. Quilibet enim, ut cum doctissimo **LOCKIO** (g) loquar, melius ex istorum observatione, quæ ipsemet tunc facit, quando videt, audit, tangit &c. aut cogitat, quam ex nostro quovis discursu intelliget, quid sit sensatio aut perceptio. Quicumque animadverterit ea, quæ intus in anima fiunt, nequit istius ignarus esse: Sine vero istiusmodi animad-  
sione haud vocabula omnia efficere possunt, ut notionem istius habeat.

§. 5.

Attamen quoniam, terminus sensus ambiguus redditus est ex eo, quod hi vel isti Philosophi modo amplio-rem & latiore-rem, modo angustiore-rem huic termino alligaverint ideam, e-re nostra esse putavimus, ut addamus explicationem nostri de hac voce conceptus. Cum autem videamus, quod in omni nostro sensu non tantum nuda adsit impressio rei & objecti in organum & cerebrum, sed nunquam possumus dici sentire, nisi percipiamus illam impressionem, sive illius nobis simus consci, hinc colligimus, sensationes nil aliud posse notare, quam Perceptiones Mentis, quibus ea motuum cum in organis sensuum exteriorum, tum in cerebro mediantibus spiritibus & nervis excitatorum, sibi est conscia. Nam, ut recte monet & variis testimoniis & rationibus confirmat. Vir de re literaria optime meritus, & quamdiu viveret in eadem promovenda summe industrius Dominus **BATLE**: (h) Il est evident, a quiconque scait juger des choses, que toute substance, qui a quelque sentiment, scait qu'elles sent; & il ne seroit pas plus absurde de soutenir, que l'ame de l'homme connoit actuellement un object, sans connoitre, qu'elle le connoit, qu'il est absurde de dire que l'ame d'un chien voit un oiseau sans voir qu'elle le voit. Cela montre, que tous les actes de Facultés sensitives sont de leur Nature & par leur Essence reflexifs sur

g) L. c. §. 2. p. 49.    h) Diction. Crit. & Hist. T. 3. sub voce **RORARIUS** Lit. E. p. m. 2603.

euxmemes. Sive breviter: evidens est, omnem substantiam  
sentientem cognoscere se aliquid recipere vel sentire. Adeo-  
que sensatio consistit in cognitione actionis in se receptæ seu  
passionis suæ, cum non possimus dici aliquid sentire, quod ta-  
men nos plane fugiat & menti nostræ non constet.

§. 6.

Sensationis ergo opus tribus potissimum videtur absolvi  
requisitis, I. requiritur ut organon nostræ Sensationis attingatur  
ab objecto, quicquid etiam Philosophus (?) in contrarium affer-  
rat ex simili a cæco per baculum sentiente desumpto, monstra-  
re satagens, non necessarium esse supponere materiale quid-  
piam ex objectis ad oculos nostros manare, ut v. g. Lumen & co-  
lores videamus; quod tamen non tantum in ipso simili falsum,  
verum etiam ab ipso Cartesio aliis Demonstrationibus suæ  
Dioptres reprobat, cum omnia visus Phænomena ex radiis  
luminaribus a singulis illuminati corporis punctis exeuntibus &  
ad oculum tendentibus deducatur. In isto vero tactu organi  
duo consideranda veniunt, partim actio objecti, partim passio  
organi Sensationis nostræ. Illa juxta diversitatem objectorum  
diversa est. Sic in visu objectum agit in oculum mediantibus  
radiis luminaribus sive æthereis a corpore procedentibus: in  
auditu tremulus & agitato aer membranam tympani tenuissi-  
mam pulsatur: In olfactu subtiliores particule corporum odori-  
feræ ab aeris motu in nasum propulsæ fibras nervosque olfa-  
ctorios pungunt atque titillant: In Gustu particule ex diversis  
salibus &c. sapidæ & mediante saliva liquefactæ nervos gu-  
statorios & spongiosam linguam varia ratione afficiunt. In  
tactu stricte sic dicto superficies corporum varie disposita &  
aër circumjacens nervos instar funium per totum corpus dif-  
fusos vario modo agitant, premunt, expandunt, contrahunt &  
in iisdem spiritus varie agitant. Passio vero Organi in eo con-  
sistit, quod istud varias illas modificationes in se recipiat, de  
qui-

i) Diopt. c. I. n. 4. & 5.

quibus omnibus prolixi sunt ANTON LE GRAND, *k*)  
CLERICUS, *l*) VERRHEYN, *m*) BECMANNUS *n*)  
aliique.

§. 7.

Falsum itaque est, quod non sine absurditate circa vi-  
sum refert VOIGTIUS *o*) in Libro ex figmentis, ridiculis  
rationibus & rebus nullius pretii quasi combinato, ubi ita  
fabulatur: D. FLAUCHER Ecclesiæ Carentoniensis Pastor  
hat zu Paris einen Mann gekannt / der seine Brillen durch-  
sehen / also / daß Löcher darinnen worden sind. Eben dieses  
hat BORELLUS Cent. 2. Observ. 1. von einem alten Mann  
gehört / und zweiffelt nicht / daß sich dergleichen oft zutrage /  
wenn es nur observiret würde. Die Ursach schreibt er de-  
nen radiis visivis zu / die aus dem Auge gehen. Risum te-  
neatis amici: Quis enim unquam Borello atque huic  
Historiæ fidem adhibeat, nisi eadem cum VOIGTIO labo-  
ret credulitate. Cum ex opticis constet, quod si superfi-  
cies polita specillorum ocularium tollatur, vel v. g. ex con-  
vexitate perpolita aspera oriatur concavitas, illa specilla om-  
nem amittant usum, adeoque seni inservire nequeant. Ut  
silentio prateream, radios ex oculo non emitti, & licet ef-  
fluvia quaedam emittantur, ea tamen non esse tantæ effica-  
ciæ, ut vitrum in medio arrodere atque perforare pos-  
sint.

§. 8.

Sed redeamus ad seria, quæ II. dum sensuum requisitum proponit. Passionem enim organi immediate sequitur nervorum & spirituum animalium in organis hospitantium motus, qui motum ab incidentia & incurSIONE objecti

B

ex-

*k*) Infit. Philos. P. 8. c. 10. seqq. *l*) Opp. Phil. T. 4. L. 5. c. 7. seqq. *m*) de Anatomia passim. *n*) System. Phys. P. Sp. L. 6. c. 3. *o*) Physical. Zeitvertr. Bd. 100. qv. 81.

excitatum ad cerebrum sedem animæ deferunt. CARTE-  
SIO & Cartesianis quidem hæc tribuitur sententia, quod  
stauant animam per solos nervos, non spiritus simul senti-  
re, quos anima in cerebro instar funiculorum & capilla-  
mentorum dirigeret, quorum si unum extremum tangatur,  
alterum quoque necesse sit moveri. At vero falsissima hæc  
est sententia, cum CARTESIUS *p*) ejusdemque Sectarius  
LE GRAND *q*) potius in verbis quam re a nobis dissen-  
tiant. Ad nervos enim tria requirunt: primo membra-  
nulas, quibus involvuntur: secundo texturam illorum in-  
teriores, quæ in tenuissimis capillamentis consistens a cere-  
bro usque ad membrorum extrema porrigitur, & tertio spi-  
ritus animales, qui instar venti aut aëris subtilissimi ex ven-  
triculis seu cavitatibus cerebri progressi per eosdem tubos  
ad musculos evehuntur, adeoque ipsi Cartesiani spiritus ani-  
males ad Sensationis opus necessarios esse censent.

§. 9.

His ita perpensis videmus, quod licet organi attactus  
ejusdemque motus mediantibus nervis & spiritibus ad cere-  
brum sit delatus, attamen nulla adhuc posset oriri Sensatio,  
nisi adsit aliquod Ens in nobis ad istos motus attendens.  
Et cum intellectus hoc munus in se suscipiat, merito III. ad  
Sensationem requirimus mentis nostræ perceptionem.  
Constat enim, ut cum Philosopho loquar, quod, quoties  
anima vel ecstasi vel alta contemplatione distracta, velut ex-  
tra corpus ponatur, hoc torum torpidum sine sensu stupeat,  
quæcunque etiam objecta moveantur. *r*) Quod fit eam  
ob causam, quia non attendit ad motus nervorum & spiri-  
tuum

*p*) Dioptr. c. 4. n. 3. de Passion. P. I. art. 21. p. 13. & art. 34. p. 20.  
*q*) Inst. Philos. P. 8. c. 11. p. 625. *r*) Conf. Sturm. Phys.  
Erotem. p. 668.

tuum in cerebro vel sibi eorum non est conscia, vel nunquam sentire potest, nisi sentiat, se sentire. s) Intellectus ergo videt, audit, olfacit &c. non oculus, auris, nervus gustatorius &c.

§. 10.

Quoniam autem anima nostra non semper sentiat per externum organum, sed etiam in cerebro sine organo determinato internas actiones & motus suos recipit, duplex inde nascitur Sensationis denominatio, utpote quæ vel externa vel interna dicitur. Externa est receptio motus, qui per aliquod externum & proprium organon ad cerebrum fuit delatus: Interna vero est receptio motus, quem anima in se ipsa vel in cerebro vel in alio loco excitavit. Sic anima nostra nullam haberet ideam suæ volitionis, cogitationis, imaginum internarum, affectuum &c. nisi illa omnia sensaret sive illorum esset conscia, quæ interne aguntur.

§. 11.

Hæ Sensationes cum ab anima potissimum procedant, brutis nequaquam tribui possunt, adeoque iis sunt denegandæ. Concedimus equidem, quod in brutis quoque repariantur organa Sensationis, in quæ objecta vel athere vel effluviis suis atque superficie incurrunt, & in quibus motum aliquem excitant. Addimus iis insimul, quod nervorum & spirituum animalium commotio istum organi contactum ad cerebrum brutorum deferat, & in illo novos producat motus & varias agitationes. Sed hoc cum brutis conciliare non possumus, quod in cerebro eorum aliquid sit, quod hunc motum percipiat & ad agitationes spirituum attendat: cum nobis constet, quod nulla gaudeant mente & analogon rationis, quod brutis tribuitur, sit asylum ignorantia, cujus nul-

s) Chauvin. Lexic. Philos. sub voce Sensatio.

nulla detur clara & distincta cognitio. Præterea plurima  
 argumenta, quæ pro probanda brutorum cum Sensatione &  
 ratione hominum analogia afferuntur, plerumque ostendunt,  
 majorem vim cognoscendi, dijudicandi &c. Brutis  
 inesse quam homini. Periculosum autem est, positivi quid  
 de brutis in hac materia affirmare, cum hæc materia ipso  
 fatente Domino Bayle abyssus sit profundissimus scientiam  
 & intellectum hominis in se quasi absorbens. Nam modo  
 cum WILLISIO *t*) & GERHARDO DE VRIES *u*) ex ratione  
 brutorum, modo cum LOCKIO, *x*) ex minori gradu  
 intellectus & ex ideis illorum imperfectis, modo cum DAR-  
 MANSON *y*) & LE GRAND, *z*) aliisque Cartesianis ex  
 Mechanismo, modo cum Domino BERNHARDO, *a*) ex  
 externo quodam Principio, imo ex ipso DEO tanquam ani-  
 ma brutorum, modo cum illustri LEIBNITZIO *b*) aliisque  
 ex Harmonia & proportione nata convenientia semel a DEO  
 ita constituta, modo ex aliis Principiis effectus mirandos  
 brutorum deducunt. Sufficiat nobis cum STURMIO *c*)  
 addidisse bruta sentire quidem, sed non cognoscere se sen-  
 tire, si vocem hanc juxta vulgarem acceptionem inter-  
 preteris.

S. 12.

Cum itaque Tibi, L. B. ex præcedentibus luculenter  
 constet, quid per Sensationis notionem intelligamus, facile  
 colliges, quæ mens nostra sit de Themate hujus Disserta-  
 tio-

- t*) de Anima Brut. P. I. c. 6. p. 91. 92.    *u*) Exercit. de opera-  
 tionibus Brutorum.    *x*) de Int. Hum. L. 2. c. 11. §. 5.  
 & 11. p. 65. seq.    *y*) in Tr. qui inscribitur la beste trans-  
 formée en Machine.    *z*) Tr. de Brutis sensu carentibus.  
*a*) Nouvelles de la Republ. des Lettres anno 1700. Mens.  
 Oct. p. 419. seq.    *b*) Mr. Bayle Dict. Crit. & Hist. T. 3.  
 sub voce RORARIUS lit. L. p. m. 2610.    *c*) Physic.  
 Erotem. p. 669.

tionis : Queritur nimirum, an anima nostra motus partim externe partim interne excitatos percipiens falsi aliquid committat & errorem aliquem producat. Hoc enim nequaquam negabimus, animam nostram sæpius errores percipere eosdemque in sensus incurrere, sed illa cognitio erroris in se tamen non est erronea, sed indifferens respectu animæ cognoscentis. Negamus autem, quod anima res percipiens erroris causa existat dum percipit, adeoque intellectui sensanti omnes errores cum fundamento boni assensus denegamus, quod in sequentibus erimus demonstraturi.

## CAP. II. THESEOS CONFIRMATIO.

### §. I.

Quod homines Sensationi errores adscripserint: ex communissimo oritur præjudicio & depravata consuetudine, quod semper existiment, rem quampiam esse causam alicujus effectus, cum utrunque simul conjunctum esse videant, licet sæpius concomitetur, non producat effectum. Nonne, ut MALEBRANCHII (c) exemplum assumam, si sol conjunctus sit cum Marte & aliquid extraordinarii accidat, statim conjunctionem Solis cum Marte causam istorum effectuum esse fabulantur. Nonne autumant corpus nostrum moveri immediate a voluntate, quiaprehendunt cum motibus corporis *to* velle

B 3

ple-

c) de Inquir. Verit. L. 3. c. 3. p. 203.

plerumque esse conjunctum? Nonne in pneumaticis effectus ii communiter Diabolo tribuuntur, quibus Diabolum tanquam judiciorum divinorum executorem adesse vel adfuisse probabiliter constat? Nonne Sensationi nostræ causalitatem erroris inesse sunt persuasissimi, cum illam plerumque error mentis immediate soleat infe-

§. 2.

Quod autem falsa hæc de sensibus sit sententia, primo patefcet ex definitione erroris & falsi: Falsum autem atque error non datur citra mentis judicium, imò est ipsum mentis judicium ideas conjungendas disjungens & disjungendas conjungens. Ipse ARISTOTELES (*d*) non est contrarius, nam expresse scribit: ἐν οἷς τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές, συνδέσις τις ἤδη νοημάτων, ὡσπερ ἐν ἑνῶν, & paulo post, τὸ ψεῦδος ἐν συνδέσει αἰεί. Falsum enim includit aliquam disconvenientiam inter duo objecta, quæ tamen conjuncta videntur, & vel notat aliquam inter eadem esse relationem, cum tamen nulla sit vel nullam esse idearum relationem, ubi tamen re vera quædam reperitur. Ex quibus luculenter constat, nullam ideam vel complexam vel incomplexam, vel universalem vel particularem in se spectatam erroris esse capacem, sed omnes nostros conceptus ad veritatem & falsitatem esse indifferentes, nisi accedat mentis nostræ judicium. *e*) Sic quoque comparatum est cum sensationibus; in hisce enim nil datur, nisi perceptio alicujus motus nervorum & spirituum aliena ab omni judicio, quod ad alias mentis

*d*) de Anima L. 3. c. 6. Opp. T. I. p. 402.

*e*) Chauvin Lex. Philos. sub voce Falsitas Apprehensionis. Lamb. Velthuyfen in initiis primæ Philosoph. pag. m. 271.



tis operationes atque actus pertinet : Ergo mens sensu non errabit.

§. 3.

Secundo in Sensatione cogitationem sive perceptionem internam non tribuo rei externæ, nec ad objectum aliquod refero, i. e. non dico convenire cum aliquo objecto : hoc enim a iudicio nostro semper proficiscitur, (f) v. gr. perciperes in oculo tuo montem aliquem cœruleum, qui tamen ab extra esset viridis : tua Sensatio non conveniret objecto externo : ast quæso, quis est, qui opinatur, tuam perceptionem convenire externo objecto ? nonne est iudicium tuum, si affirmes montem hunc, qui re vera est viridis, esse cœruleum, adeoque interna tua cogitata applices ad objectum tui sensus. Liceat mihi elegantissimum afferre simile CHAUVINI, quod l. c. literis consignavit : Finge, inquit, animo pictorem, qui & promiserit & voluerit Philippum pingere, Alexandrum genuinis depinxisse coloribus, is certe falsam non fecit Philippi imaginem, siquidem ne unam Philippi partem delineavit ac veram Alexandri, quam ponimus pinxisse, protulit imaginem. Quam ob rem si culpetur pictor ille, ut re vera culpari potest, idem non propter commissum, sed propter omissum opus culpandus est, i. e. non quod pinxerit Alexandrum, sed quod non pinxerit Philippum, quem ex pacto depingere debebat. Similiter culpanda mens hominis, quæ v. g. lignum putridum in tenebris coruscans tanquam spectrum diabolicum perciperet, non ob commissam, sed omissam cogitationem : Imago enim illa Phantasmatis in cerebro vere existit. Quod autem mens illam cogitationem omiserit, oritur ex ejus præ-

f) Domini Thomasi *Einleitung zur Vermunftl.* c. 6. n. 47. 48. p. 76.

præcipitania intellectum hoc vel illo modo determinan-  
te & inædificante.

§. 4.

Accedit Tertio, quod mens nostra non possit non sentire ea, quæ sentit. Cum exempli gratia sentiat stellas instar scintillarum ignearum fulgescere, fieri non potest, quin re vera id sentiat, & aliter in hac vel ista conditione sentire nequeat, quod se sentire percipit: Quod in aliis exemplis innumeris experiri licet. Ruit enim præsens aliquod objectum in organa Sensationis, quæ non possunt non positis ad sentiendum requisitis illius actiones sub illa modificatione recipere, sub qua proponuntur. Sic vere sentit noster intellectus exiguum Figuram corporis solaris, colores iridis, figuram curvi baculi in aqua, & non potest non illa sentire, nec errat, dum eadem sentit, sed dum præcipitanter de iisdem iudicat.

§. 5.

Ex quibus colligi potest, Sensationem nostram proprie loquendo non posse decipi: Sensatione enim, uti jamjam monui, vere illum motum semper percipimus, qui ad cerebrum nostrum defertur. Et licet alienus sit ab isto objecto, quod illum excitavit, nondum tamen sensus deceptus dici potest, utpote qui nullum ad istud objectum infert respectum; sed decipitur nostrum iudicium quod ex illo motu tanquam signo alterius cujusdam objecti ejus præsentiam colligit & ideam internam male ad externum quid transfert. Ponam casum: Siftitur oculis nostris spectrum ex aère a spiritu quodam formatum hominemque representans. Oculus noster afficitur quadam imagine illius spectri, & intellectus percipit eandem, i. e. Figuram & simulachrum hominis. Non hic

hic decipitur Sensatio, sed ipsa nostra anima, quando  
judicat, hanc imaginem esse verum hominem.

§. 6.

Nolo hic prolixus esse, alias facili negotio cum  
celeberrimo THOMASIO (*g*) possem demonstrare, quic-  
quid etiam Cartesiani in contrarium afferant, (*b*) quod  
si sensibus denegemus infallibilitatem, corruat omnis Re-  
ligio & Argumentum, quod primo loco pro veritate  
doctrinae suae supponit Apostolus inculcans se dicturum  
esse de verbo, quod audiverit, viderit & manibus pal-  
paverit. Corrueret ipsum argumentum, quod CHRIS-  
TUS discipulis Johannis de eo, an verus sit Messias  
solicitis, loco responsionis & certissimae confirmationis  
suppeditebat: Redeatis ad Johannem, inquit, eidem-  
que renunciatis, quae oculis atque auribus vestris usur-  
pare licet &c. Ut silentio praeteream, quod haec sen-  
tentia suum praebet usum in Sacramentis, quorum ex-  
terna Symbola sensibus percipienda: in miraculis co-  
gnoscendis, quibus DEUS autoritatem verbi & Mini-  
strorum suorum sapissime corroboravit, quod an recte  
deduxerit WILLIAM FLEETWOOD, (*i*) ipse L.B. pro-  
pria Lectione & Meditatione experiare.

§. 7.

Exinde evidentiae sensuali major accedit splen-  
dor, quae in se certissimo gaudet fundamento. No-  
tum enim est, quod in veritate sapissime ad sensationem  
pro-

*g*) Introduct. in Phil. Avl. c. 5. §. 32. p. 111.    *b*) Le Grand  
Instit. Phil. P. I. c. 2. p. 10. Petr. Allinga Erotem. Illustr.  
Dec. 12. Erot. 4. p. 383.    *i*) *Untersuchung der Wahr-  
der Werke* p. 24.

provocemus. Sic tuam voluntatem appetere, Te in  
 cerebro tuo cogitare, hanc chartam esse albam, hasce  
 literarum figuras nigras &c. argumentis nullis Tibi pos-  
 sum demonstrare, nisi ad tuam Sensationem provocem.  
 Certo autem nobis habemus persuasissimum, res jam  
 jam dictas hoc & nullo alio modo sese habere, quia  
 clare & distincte illas ita percipimus, vel, ut cum illustri  
 TSCHIRNHAUSIO (*k*) loquar, quia absolute est in  
 nostra potestate, & ideo omnino fieri potest, ut ejusmo-  
 di res a nobis percipiantur. Verum enim vero cavea-  
 mus hic, ne judicio nostro erremus, & ea, quæ nostræ  
 Sensationi sunt evidentissima, aliis quoque ita necessario  
 videri putemus. Nam vel arbitramur nos rem clare &  
 distincte percipisse, cum tamen nullam ejus rei habeamus  
 ideam, v. g. nigredinem noctis, colorem cœruleum  
 cœli, dolores podagricos in pede, errorem sensuum  
 &c. vel in aliis hominibus alia dantur Sensationis orga-  
 na atque media non eodem modo disposita, quibus  
 perceptio mentis varie modificatur. e. g. Frigus aliter  
 rusticum, aliter hominem delicatulum afficit: Moschus  
 atque ambra gravidæ injucundum, aliis jucundum spi-  
 rant odorem: Ille sentit judicium in intellectu, hic in  
 voluntate, & quæ sunt aliæ, quæ a MALEBRANCHIO (*l*)  
 multis ambagibus afferuntur.

§. 8.

Evidentiæ illi sensuali non obstat, quod asseram,  
 Sensationem nostram, licet non erret, includere ta-  
 men ejusmodi objecta & impressiones ab objecto factas,  
 quæ menti occasiones errandi subministrant. At vero  
 sic-

*k*) Medic. Ment. P. 2. S. 1. n. 1. p. 34.    *l*) de Inquir. Verit.  
 L. 1. c. 13. n. 5. p. 56.

sicuti terræ non imputatur, quod fructus cibi & potus, quos progenerat, ab homine male impendantur & admittuntur: Sic quoque nec sensibus nostris culpa adscribenda, quod iis perceptionibus, in quibus consistunt, mens nostra abutatur & eas iudicio suo male applicet, conjungat vel disjungat. Nam licet Sensatio nostra menti sapius minus claras & distinctas perceptiones offerre videatur, hanc tamen, juxta PHILOSOPHUM, (m) in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab iis credendis, quæ non plane certa sunt & explorata, possimus abstinere atque ita carere, ne unquam erremus.

S. 9.

Vera itaque causa erroris sita est in abusu istius libertatis abstinendi ab affirmatione vel negatione sive in præcipitantiâ nostræ mentis, qua ideas conjungere & disjungere solet. Ex eadem accidit (1) ut sapius judicemus de toto ejusdemque essentia, cum tamen partes ejus vel accidentia quædam tantum sensu perceperimus. (2) ut judicemus juxta nostram ignorantiam de re quadam, quam superficialiter tantum vel plane nullis sensibus delibare licuit. Non enim erramus, quia nescimus aliquod objectum, sed quia secundum nostram imperitiam varia de eodem formamus judicia. (3) ut judicemus thesin esse apodictice veram, quam tamen præjudicia vel autoritatis vel infantia vel consuetudinis nobis inculcarunt. (4) ut judicemus ea, quæ passioni nostræ conveniunt, bona & vera esse, quæ non conveniunt mala. (5) ut judicemus ea, quæ nostris sensibus vera sunt, absolute vera esse atque omnibus necessario ita videri. Præter ea alias erroris causas Tibi affe-

C 2

m) Principp. P. I. n. 6. & n. 33.

afferent EDOARDUS DE CHERBURY; (n) qui tamen deliò natatore indiget, LOCKIUS, (o) CLERICUS, (p) aliique, & verum est, quod Romanorum ORATOR (q) diferte fcripfit: Plura multi homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut fpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut præfcripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus.

§. IO.

Ex his conftat, fi Errorem evitare velimus, non ad fensus inprimis, fed ad judicium animæ effe refpiciendum, illudque recte informandum. Quare 1.) nunquam plenum de re quadam per fensus percepta feras judicium, antequam de fundamento boni affenfus tibi certo liqueat. 2.) Judices in fensationis limine hæc vel ifta objecta fensus ita apparere, non actu hoc vel illo modo ftatim effe comparata, v. g. Montes mihi videntur effe cœrulei, colores videntur ineffe iridi. 3.) Non abfolute, fed relativas circa fensus formes propofitiones, v. g. Hæc mihi funt ad Palatum, non vero hæc neceffario & abfolute guttum grato motu afficiunt. 4.) Antequam, judices, omnes circumftantias fensuum accurate perpendas, partim an Organa fensus non funt corrupta, partim an Objectum in debita fit diftantia, partim an medium bene fit difpofitum, vel alienas induerit qualitates &c. 5.) Percipias res eo fensu, quem natura earum poftulat. Sic  
echo

n) Traët. de caufis Errorum. o) Loc. cit. L. 4. cap. 20.  
p) Log. P. 2. c. 9. n. 9. p. 114. feqq. q) de Oratore L. 2. c. 42. Conf. Abbadié l'art de fe connoitre foy meme T. 2. c. 3. feqq. pag. 242.

7101  
echo non cadit in auditum, sed visum: Anima non imaginatione, sed intellectu puro percipienda.

§. II.

Nisi scripti & temporis habenda esset ratio, hic Caput III. de antichesium refutatione in medium esset afferendum, e quo pauca tantum in præfenti paucis indicare licuit. Plerumque enim objicere solent inductionem exemplorū, qua sensum errorem probare annituntur. Dicunt illos errare 1.) ratione organi: vel si nervorum situs per causam insolitam detorqueatur: Sic globulus duobus digitis decussatis attractus instar duorum sentitur, & si digitus fortiter imponatur oculo, omnia objecta videntur gemina, (r) vel ex imbecillitate quadam illi adhærente ut suffusione oculorum, morbo icterico, gravedine pituitosa vel ex perturbatione quadam vehementiori, ut iis, qui vertigine laborant, omnia se movere, rapide motis corpora quiescentia ex loco in locum transire videntur, vel circuli duo flammam candelæ circumdantes colore iridis splendidi apparent, quos CARTESIUS (s) se deprehendisse confirmat. Vel ex corruptione integritatis ejus, ita ut organa vel sint tumida, convulsa, distorta, distensa, contusa, scissa, puncta &c. (t) 2.) ratione medii, vel si imbuetur alia quadam qualitate sive in materia sive in motu suo: Si per vitrum viride v. g. aliquid albi aspiciamus, per tubam acusticam auri applicatam fortius audiamus. Vel si condensetur: Sic sol in occasu major, denarius in aqua major apparet, quam in aëre (u) 3.) ratione objecti

C 3

r) Cartes. Dioptr. c. 6. s) Meteor. c. 9. num. 7. p. 278.

t) Edoardum de Cherbury Tr. de Veritate p. 32. u)

Conf. Delrio Disquis. Mag. L. 2. quaest. 8 p. 148. 199.

**non**

jecti vel ex ejus celerrimo motu, quando anthrax sive carbo in gyrum circumvertitur, adesse videtur circulus igneus: Vel ex nimia distantia, quæ in culpa est, quod stellæ exiguæ magnitudinis esse videantur, turris quadrata rotunditatem e longinquo mentiatur: Vel ex insigni cum alio Objecto apparente similitudine, qua ratione ex ignibus fatuis, lucæ ligni putridi primo aspectu ignem ardentem vulgus colligit, & auribus nostris cælo sereno tonitrua sive campanarum sonitus nos percipere putamus. Sed omnia, quæ pro erroribus sensuum afferri possunt, exempla nil probant, nisi hoc, quod sensus occasiones erroris existant. Nam Sensatio non refert receptas impressiones ad externa objecta, nec convenire illas cum hisce judicat.

§. 12.

Quibus cognitis illa etiam Objectio corrumpit, quæ a mutatione organorum sensuum post lapsum est desumpta. Multi enim autumant, in statu integritatis perfectionem sensuum in eo constituisse, quod non erraverint, sed post lapsum imperfectos fuisse redditos & errori obnoxios. Sed posito, quod alia post lapsum & crassiora acceperimus organa Sensationis, & concessio, quod ipsa perceptio & Sensatio non tam clare & distincte objecta recipere possit ac in statu perfectionis: attamen exinde error nondum pertinebit ad Sensationem, quia uti in præcedentibus ostensum fuit, organi corruptio non est causa erroris: Intellectus enim vere percipit, quod ipse organorum ope ingeritur, x) sed quod abutamur nostro iudicio circa obscuram & confusam receptionem, & antequam judicemus, minus accurate ad omnes sensuum circumstantias attendamus.

§. 13. II-

x) Lamb. Velthuyfen init. primæ Phil. p. 274. Coll. Reg. 7. p. 75. sqq.



III<sup>a</sup> Objectiones, quas Illustris Dominus a Tschirn-  
HAUSEN <sup>y</sup>) affert, asserens, errores ab eo dependere,  
quod res percipiantur a nobis ut diversæ, cum tamen sint  
eadem, vel ut eadem, cum tamen sint diversæ ex allatis  
argumentis facile dijudicari poterunt. Quod etiam sen-  
tias de Observationibus MALEBRANCHII, <sup>z</sup>) qui licet  
ipse hinc & inde asserat, quod nullatenus sensus nos con-  
ficiat in errorem, attamen ipsa deductione sibi contradicit  
Errores & Deceptiones ex Sensationibus derivans. Has  
& alias contrarias sententias ex Cartesianis depromendas,  
quarum iudices superiora sint argumenta, sicco pede tran-  
simus, & his nostris Meditationibus Bono cum DEO coro-  
nidem imponimus, sequentia instar Confectariorum &  
Corollariorum addentes:

- I. *Ad omnem Sensationem requiritur Con-  
scientia.*
- II. *Nil incurrit in Sensus externos, nisi Acci-  
dens individui.*
- III. *Intellectus non errat in cogitando.*
- IV. *Omnis Sensatio est indifferens.*
- V. *Homo Brutis non est inferior ratione  
Sensuum.*

VI. *Ac-*

<sup>y</sup>) Medic. Ment. P. 2. p. 165.    <sup>z</sup>) L. I. loc. cit. passim. Conf.  
Edoardum de Cherbury de causis Errorum.

VI. *Accurate judicavit PHILOSOPHUS*  
*Part. i. Principp. n. 42. Mirum videri*  
*potest, quod unquam fallamur, quia ne-*  
*mo est qui velit falli: sed longe aliud*  
*est velle falli, quam velle assentiri iis,*  
*in quibus contingit Errorem reperiri. Et*  
*quamvis re vera nullus sit, qui expresse*  
*velit falli, vix tamen ullus est, qui non*  
*sape velit iis assentiri, in quibus Error*  
*ipso inscio continetur.*



ULB Halle  
003 620 00X  
3  


Sb.

VJ  
17







B.I.G.

Farbkarte #13

MEDITATIONES  
DE  
M E N T E  
SENSU NON ERRANTE,  
Adjuvante Autore sensuum,

&  
Consentiente  
*Amplissimo Senatu Philosophico,*  
PRÆSIDE  
M. GOTTLIEB SAMUEL *Greuer* /  
examine Eruditorum subicit,

RESPONDENS  
JO. Gottfried Hoffmann / Lipsiensis,  
D. 21. SEPT. M DCC VII.

H. L. 2. C.  
L I P S I Æ,  
Literis CHRISTIANI GOEZI.

*Alonso Varis...*  
*San 30*

